



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117921**

§. 49. Zimiscis exitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

ætatis suæ quinquagesimo octavo Salutis <sup>Sæculum X.</sup>  
nongentesimo octogesimo secundo ex A. C. 975.  
hoc sæculo migravit.

§. XLIX.

*Zimisces exitus. Basilus & Constantinus Imperatores.*

Inter hæc in Oriente Joanni Zimisces *Cedr. p.683.*  
Imperatori, magnis de Bulgaris Russisque victoriis reportatis, Constantinopolim remeanti, Patriarcha cum Synodo (nempe cum Episcopis tunc ibi versantibus) cunctique viri in Dignitate constituti, extra civitatem obviam processerunt, Principis laudes celebrantes. Coronas victori obtulerunt, rogantes, ut currum magnifice in triumphi pompam præparatum, quatuor equis albis junctum, conscendere dignaretur. Sed Joanni satis fuit coronas accipere; mox in albi coloris equum insiliit, ita civitatem intraturus; currum vero ante se trahi iussit, impositis, quæ Regibus Bulgariæ detraxerat, spoliis, atque in editiore loco Imagine Sanctæ Virginis, utpote Urbis Constantinopolitanæ Patronæ, eminente. Ubi in Ecclesiam magnam pervenit, coronam, quam Regum Bulgariæ præcipuus portare solitus fuerat, ad aram suspendit. Ceterum Zimisces omnium primus pecuniam Salvatoris imagine

M m 3

signari



Sæculum X. signari iussit cum Inscriptione: *Jesus*  
A. C. 975. *Christus Rex Regum.* Hujusmodi nummi  
 hodieque supersunt.

Tandem ab expeditione in Syriam suscepta domum remeans per Ciliciam, cum fundos latissimos & fertilissimos conspiceret, & a proximis quæsvisset, quis eorum esset dominus, responderunt, dominum agrorum istorum esse Basilium Evnuchum Cubiculariorum Præfectum. Et Imperator alte ingemiscens: *Tristem profecto Imperii sortem! ærarium exhauritur, Romanus miles necessariis eget, Imperatores longis profectioibus fatigantur, quo fructu? ut unus spado divitiis affluat.* His verbis a pessimis mancipiis ad Basilium delatis, ille illico constituit Imperatorem perdere. Igitur pocillatorem Joannis subornat, qui potum, quem porrigere adsueverat, veneno miscuit. Joannes Constantinopolim reversus, postquam pestem bibisset, haud diu post occubuit, cum annos sex, & menses sex regnasset. Successerunt Basilius & Constantinus Romani junioris filii, qui mense Decembri anno Mundi 6484. Indictione quarta, nempe anno Christi 975. Regnum auspiciati, Basilius annos natus viginti, & Constantinus septendecim, annis deinde quinquaginta commune Imperium obtinuerunt. In istis vero principiis



piis Basilius Cubicularius cum Theophania Principum matre, quam ab exilio revocaverat, res gerebat.

Sæculum X.  
A. C. 975.

§. L.

*Ecclesia Constantinopolitana.*

Haud multo abhinc tempore, cum Basilius Patriarcha, nescio cujus criminis, fuisset accusatus, in Concilio depositus est, atque Antonius Studita Patriarchali Dignitate ornatus. Verum is inter seditiosos motus excitatos a Barda, cognomento *Sclero*, id est, Duro, viro rebus in bello gestis claro, quem Basilius Spado male habuerat, Episcopatu se abdicavit, tumque Ecclesia Constantinopolitana annis quatuor sine Pastore fuit. Tandem Antonio vita functo, anno circiter 980. Patriarcha ordinatur Nicolaus *Chrysoberges*, id est, Virga aurea, qui Sedem Constantinopolitanam annis duodecim & sex mensibus obtinuit. (\*) Eadem

*Cedr. p. 682.  
p. 694.*

M m 4                      sedi-

(\*) Hic contra Protestantes aliquos maligne affirmantes, Schisma Ecclesiae Constantinopolitanae & Romanae a tempore S. Chrysostomi, nempe Sæculo Christi quarto exeunte, fuisse perpetuum, bene notandum est, quod dicit Natalis Alexander Tom. XII. p. 289. *Cum Photio extin-*